



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CXXXVI. Der Vicar Heinrich in Knobloch miethet sich vom Domcapitel gegen jährliche Pension eine Pfarre, am 25. März 1303.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

CXXXVI. Der Vicar Heinrich in Knobloch miethet sich vom Domcapitel gegen jährliche Pension eine Pfarre, am 25. März 1303.

— ego Hinricus presbiter, perpetuus vicarius in Clebeloch, notum esse cupio univērsis tam presentibus quam futuris presens scriptum visuris, quod ecclesiam in Clebeloch, ad tempus duntaxat mee vite a meis dominis reverendis, scilicet domino Johanne preposito, Woltero priore, totoque Brandenburgensis ecclesie capitulo conveni pro annua pensione et certa, quam pensionem terminis certis subscriptis sub distincta quantitate pensionis promissi conventui aut ejus procuratori in subventionem expensarum annis singulis persolvendam, ita videlicet, quod quintum dimidium talentum Brandenburgensis monete datiuorum denariorum tribus vicibus anni hoc modo particulariter persolvam, scilicet in festo sancti Martini primo termino triginta solidos, in festo purificationis marie XXX. solid. in festo Walburgis XXX^{la}. solidos, conventui aut ejusdem procuratori omni dilatione postposita collapsa: insuper votivo motu pio liberoque arbitrio omnia mea bona immobilia sive mobilia ubicunque seu apud quoscunque fuerunt obtenta pro testamento post meum obitum ecclesie sancti Petri in castro Brandenburgensi in memoriam mee anime nullo meorum heredum amicorum seu alienorum contradicente nec de jam dictis aliquid extorquente, exceptis illis debitis, quibus rationaliter et licite pro expensis honestis etiam ex parte dotis fuero obligatus, humiliter assignavi, hoc addito, quod de relictis meis bonis debita mea licita et honesta persolvi debeant, dummodo fuerit manifestum. Ut igitur istud inviolabiliter perseveret, presens scriptum appositione sigilli nove civitatis Brandenburgensis cum sigillo capituli sancti Petri in Brandenburg procuravi firmiter communiri. Et nos consules nove civitatis Brandenburgensis ad instantiam domini Hinrici prenominati in testimonium supradictorum sigillum nove civitatis Brandenburgensis presentibus scriptis duximus apponendum. Hujus facti testes sunt: honorabiles domini clerici dominus Degghe-
rus, plebanus nove civitatis Brandenburgensis, dominus Arnoldus decanus de Treewiz, magister Johannes Gruelhud, de laicis vero Johannes de Monkeberch, Hinricus de Pritzerwe, Zabellus de Muceliz et Jacobus de Viriz et quam plures alii fide digni burgen-
ses. Datum Brandenburg, anno domini M^o. CCC^o. III. VIII Kal. Aprilis per manum Johannis.

Nach dem Originale.

CXXXVII. Vergleich zwischen dem Domcapitel und dem Magistrate der Neustadt Brandenburg wegen eines Zehnten, am 26. Juli 1303.

Nos Johannes prepositus, dictus de Slaberfdorp, Wolterus prior, totumque capitulum ecclesie Brandenburgensis consules nec non scabini nove civitatis Brandenburg recognoscimus tenore presentium, quod pro fructibus decimarum omnium, pertinentium ad curiam domus sancti Spiritus nove civitatis Brandenburg, in Crako sitam, considerato commodo tam ex parte domini prepositi ecclesie Brandenburgensis nec non capituli quam ex parte domus sancti Spiritus predictae donavimus dimidiam marcam ad custodiam ecclesie Brandenburgensis et ei, qui pro tempore officio preest custodie singulis annis, quamdiu predicta domus sancti Spiritus predictam curiam cum suis pertinentiis possidet, persolvendam. Hanc quidem dimidiam marcam Brandenburgensis argenti procurator ejusdem domus sancti Spiritus in die beati Martini solvet, et consules nove